

Fons aquæ salientis in vitam æternam.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

4, 5-42

In illo témpore:

- ⁵ Venit Iesus in civitátem Samaríæ,
quæ dicitur Sichar,
iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo;
- ⁶ erat autem ibi fons Iacob.
Iesus ergo fatigátus ex itínere
sedébat sic super fontem;
hora erat quasi sexta.
- ⁷ Venit múlter de Samaría hauríre aquam.
Dicit ei Iesus:
«Da mihi bíbere»;
- ⁸ discipuli enim eius abíerant in civitátem,
ut cibos émerent.
- ⁹ Dicit ergo ei múlter illa Samaritána:
«Quómo tu Iudæus cum sis,
bíbere a me poscis,
quæ sum múlter Samaritána?».
- Non enim coutúntur Iudæi Samaritánis.
- ¹⁰ Respóndit Iesus et dixit ei:
«Si scires donum Dei
et quis est, qui dicit tibi:
“Da mihi bíbere”,
tu fórsitan petísses ab eo
et dedíset tibi aquam vivam».
- ¹¹ Dicit ei múlter:
«Dómine, neque in quo háurias habes,
et púteus altus est;
unde ergo habes aquam vivam?
- ¹² Numquid tu maior es patre nostro Iacob,

qui dedit nobis púteum,
et ipse ex eo bibit
et filii eius et pécora eius?».

¹³ Respóndit Iesus et dixit ei:

«Omnis, qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum;
¹⁴ qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei,
non sítiet in ætérnum,
sed aqua, quam dabo ei,
fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam».

¹⁵ Dicit ad eum múlier:

«Dómine, da mihi hanc aquam,
ut non sítiam neque véniam huc hauríre».

¹⁶ Dicit ei:

«Vade, voca virum tuum et veni huc».

¹⁷ Respóndit múlier et dixit ei:

«Non hábeo virum».

Dicit ei Iesus:

«Bene dixísti: “Non hábeo virum”;

¹⁸ quinque enim viros habuísti,
et nunc, quem habes, non est tuus vir.
Hoc vere dixísti».

¹⁹ Dicit ei múlier:

«Dómine, vídeo quia prophéta es tu.

²⁰ Patres nostri in monte hoc adoravérunt,
et vos dícitis quia in Hierosólymis est locus,
ubi adoráre opórtet».

²¹ Dicit ei Iesus:

«Crede mihi, múlier,
quia venit hora

quando neque in monte hoc neque in Hierosólymis
adorábitis Patrem.

²² Vos adorátis, quod nescítis;
nos adorámus, quod scimus,
quia salus ex Iudáeis est.

²³ Sed venit hora, et nunc est,
quando veri adoratóres

adorábunt Patrem in Spíritu et veritate;
nam et Pater tales quærit, qui adórent eum.

²⁴ Spíritus est Deus,
et eos, qui adórant eum,
in Spíritu et veritate opórtet adoráre».

²⁵ Dicit ei múlier:
«Scio quia Messías venit — qui dicitur Christus —;
cum vénerit ille,
nobis annuntiábit ómnia».

²⁶ Dicit ei Iesus:
«Ego sum, qui loquor tecum».

²⁷ Et contínuo venérunt discípuli eius
et mirabántur quia cum muliere loquebátur;
nemo tamen dixit:
«Quid quæris aut quid lóqueris cum ea?».

²⁸ Relíquit ergo hýdriam suam múlier
et ábiit in civitátem
et dicit illis homínibus:

²⁹ «Veníte, vidéte hóminem,
qui dixit mihi ómnia, quæcúmque feci;
numquid ipse est Christus?».

³⁰ Exiérunt de civitáte et veniébant ad eum.

³¹ Intérea rogábant eum discípuli dicéntes:
«Rabbi, mandúca».

³² Ille autem dixit eis:
«Ego cibum hábeo manducáre, quem vos nescítis».

³³ Dicébant ergo discípuli ad ívicem:
«Numquid áliquis áttulit ei manducáre?».

³⁴ Dicit eis Iesus:
«Meus cibus est,
ut fáciam voluntátem eius, qui misit me,
et ut perfíciam opus eius.

³⁵ Nonne vos dicitis:
“Adhuc quáttuor menses sunt,
et messis venit”?

Ecce dico vobis:

Levate oculos vestros

et videte regiones quia albæ sunt ad messem!

Iam ³⁶ qui metit, mercedem accipit

et congregat fructum in vitam æternam,

ut et qui seminatur,

simul gáudeat et qui metit.

³⁷ In hoc enim est verbum verum:

Alius est qui seminatur, et alius est qui metit.

³⁸ Ego misi vos metere, quod vos non laborastis;

alii laboraverunt,

et vos in laborem eorum introistis».

³⁹ Ex civitate autem illa

multi crediderunt in eum Samaritanorum

propter verbum mulieris testimonium perhibentis:

«Dixit mihi omnia, quaecumque feci!».

⁴⁰ Cum venissent ergo ad illum Samaritani,

rogaverunt eum, ut apud ipsos maneret;

et mansit ibi duos dies.

⁴¹ Et multo plures crediderunt propter sermonem eius;

⁴² et mulieri dicebant:

«Iam non propter tuam loquelam credimus;

ipsi enim audivimus

et scimus quia hic est vere Salvator mundi!».

Verbum Domini.